

Andreas Daniel Habichhorst Johann Müller

Dissertatio Academica De Foemina Circumdante Virum, Tanquam Novo, Quod Creavit Dominus Ex Jerem. XXXI. v. 22.

Nunc recusa, [S.l.], 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78650336X>

Druck Freier  Zugang



A-D A. Ob 52 b. 6.
 A-K
 26y
 A-F
 20y
 A. Ob
 34y
 A. Ob
 A-G
 A-E
 A-F
 A-H
 A-C
 A. Ob
 A-E
 A-F
 A-C
 A. Ob
 A-C
 A-D
 A
 24y
 A-F
 A-F
 31
 A. Ob

52


Fa-1092 (52.)

DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.
Tomo hoc XCVII. comprehensas.

Scrutinium Scripturae Sacrae. Pr. D. P. 1.	De Triplici Officio Christi. Praef. 25.
Conformitas Iudaeo-Papistica in loco de Scriptura Sacra. Pr. D. N. Gejezo. 2.	D. Michael Behmii. 26.
de Analogia Fidei. Pr. D. Abt. Calovii. 3.	De Problemate Theologico, de Atri- culus Fidei de Ascensione Christi in Coelos quicquam deroget vere Corporis Lat Sanguinis Eiusd. Prae- sentia in S. Coena. Praef. D. Sebastiano Myriente. 5.
de Interpretatione Scripturae S. L. Mylio 7.	De Poenitentia Bestiarum Nivivi tica ad Ion. c. 3. com. s. Praef. 27.
de SS. Scripturae Auctoritate, Perfectione ac Perspicuitate. Pr. M. El. Wejelio. 8.	Jon. Fridenco Mayerol. Licent. 28.
de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pet. 1. v. 20. 21. Praef. D. A. Hebelio. 9.	De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. And. Quaeft. 28.
de Cognitione Dei Definitiva, an debeat Pr. M. Joh. Weimanno. 10.	De Nume Confessionario. Non Prudt p. fanning. Comment. Auth. D. P. Müller p. fanning. 29.
de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemann. 11.	De Satisfactionibus propriis pro peccatis in temporalibus remissis ad pe- nis in hac vita. Pr. D. Joh. Behmii. 30.
de Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Praef. Eodem. 12.	De Regula Iuris Naturae. Pr. D. Hebel. dicatur Creatio. Pr. M. Joh. Weimanno. 31.
de Actione Dei prima in tempore, in dicatur Creatio. Pr. M. Joh. Weimanno. 13.	De Confecto Pontificiorum Septe- nario Sacramentorum Nume- ro. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 32.
de Permissione divina gra peccata. Pr. Christiano Chemnitio. 14.	De Baptismo. Pr. M. Lev. Pouchenio 33.
de Christiano Chemnitio. 15.	De Quatuor Cas. Cum Abstentis quid agendum in SS. Synaxi. Pr. D. Joh. Behmii. 34.
de Apparitionibus Daemonum. Pr. D. Joh. Meisnero. 16.	De Fide in Messiam Patriarchali. ex Genes. 29. v. 18. Pr. D. S. Schmidtio 36.
de Natura et Quidditate Luminis Glo- ria. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 17.	De Donis Operibus. Pr. M. I. Weimann 37.
de Peccato Veniali. Praef. Eodem. 18.	De Donis Operibus. Pr. D. S. Niemann. 38.
de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. M. Joh. Weimanno. 19.	De Honoru Operum Necessitate. 39.
de Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurare, Excoecare. Ac. Pr. D. S. Schmidt. 20.	De Clavis Ligantis. Pr. D. Jamhayer. 42.
de Vinis Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemann. 21.	De Jov nova ploy. et nova s. xix. 41.
de Actione Dei prima ab aeterno, que dicitur Predestinatio. Pr. M. I. Weimanno. 22.	Exegetica. Pr. G. Greenio. 42.
de Phrasi Scripturae, Delectionis à libro Vita. Praef. D. Sebast. Schmidt. 23.	Purgatorium exustum à Papistas. 42.
de Foemina Circumdante Virum tan- quam ovo, quod creavit Dominus. ex Jerem. 31. v. 22. Pr. Habichhorstio. M. 24.	De Reliquis Christi et Sanctorum Eorum cultu. Pr. D. S. Niemann. 43.
de Aphorismo Joh. ch. 4. Verbum Caro factum est. Pr. M. Joh. Weimanno. 25.	De Resurrectione Mortuorum. 44.
de Aphorismo Theolog. de Iny- caratione Filij Dei Domini N. I. C. Pr. D. Eodem. 26.	De Resurrectione Impiorum. Pr. 45.
de Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. v. 16. Deus manifestatus est in carne. Pr. 27.	De Johanne Meisnero. 46.
de Parabolismo Calvinae Nestorianus. Praef. Johanne Adalmo Scheyero. 28.	De Contra Empedoclas Promissionis Adventus Christi Ultimis. Pr. D. Weimann. De Gemitu Creatura intelligentia. 47.

Collecta à M. Antonio Ulrico
Comp. Tubingae. Anno.
d. 14. Junij.

Hopffaw. Augustano. 1680



DISSERTATIO ACADEMICA

De

F O E M I N A

C I R C U M D A N T E

V I R U M,

TANQVAM NOVO, QVOD CREAVIT DOMINUS

EX JEREM. XXXI. v. 22.

Quam

Pro

B. JOH. TARNOVIO, Th. D. ejusdemq; Prof.

qvondam Rostoch. dexterrimo,

In eadem illustri antiquaq; Univers. Rostochiens.

MODERATORE האל נביר

PRÆSIDE

M. ANDR. DANIELE HABICH-

HORSTIO, S. Theol. Candid.

publica collationi Academica

sistit

JOHANNES MÜLLERUS,

Hamburgensis, S. Theol. Stud.

Ad d. 31. Augusti 1670. horis antemerid.

•• (o) ••

Nunc recusa 1672.

31
32
37
21
28
27
40
4
4



11
כ"א



Volventibus nobis *Cl. Theod. Hakspanij*, b. m. *Notas Philologico-Theologicas*, occurrit inter alia commentatio quædam in locum *Jerem. 31. v. 22.* quæ ipse illum non modò cum plurimis aliis de *Maria* interpretatur concipiente *CHRISTUM*, sed etiam celeberr. *D. Job Tarnovium*, p. m. in diversum hic abeuntem & locum de *Eccllesia*, sponsum suum Christum verà pœnitentiã amplectente accipientem, censoriã notare virgula non pigratur. Cum verò immeritò *VIRUM* hic alibiq; & tribus quidem in locis (pag. sc. 50. 202. & 425.) propter hunc locum, abs illo notari, eidemq; tantum non affingi quædam collatis utriusq; scriptis deprehendamus, facere utiq; ex pio in beatos *Tarnovij* manes affectu non possumus, quin pro tenuitate nostrâ paucis eundem *Exercitii Academici* loco defendamus. Non autem excedemus hic orbitas *Philologi*, nec falcem immitteremus nostram in messem *Theologorum*. Neq; verò etiam *Tarnovij* sententiam hic adstruemus, nostramq; hac vice planè pleneq; faciemus; sed jam ap. *Tarnovium* adstructam, publiceq; jamdudum hic ventilatam ab *Hakspanii* tum lubricis exceptionibus, tum falsis imputationibus tantum vindicabimus, contrariasq; rationes destruendo, quàm frustra h. l. sit *Hakspanius*, *Philologus* cæteroq; celebris, כ"א ostendemus.

II. Ante verò quàm ipsum aggrediamur *Hakspanium*, paucis antecedentium cum loco nostro connexionem

A 2

ex

31
32
26
28
27
40
4
4
4

ex mente dabimus *Tarnovij*, quippe qui textus potissimum in
 coherentia nititur. Si enim proximè præcedentia intue-
 mur textus verba, gravissimam continere videmus que-
 relam de Ecclesia tanquam de fœmina maritum suum
 deserente, cum annexo hortamento, ut desertrix ad ma-
 ritum suum revertatur: ita enim dicit Dominus v. 21. & 22.
*Revertere virgo Israël, revertere ad civitates tuas istas: quousq;
 subduces te, ô filia averſa?* Non verò nudè ita hortatur
 Dominus, sed hortamenti statim subjungit rationem:
quia creabit Deus novum, fœmina circumdabit virum. Qui-
 bus certè verbis admirabilem Ecclesiæ gratiam promittit
 DEUS, quâ facturus sit rem novam, ut fœmina desertrix,
 ex se ad DEUM reverti non valens, gratiâ DEI mirabiliter
 animata, novoque robore instructa, suum requirat ite-
 rum veraque amplectatur pœnitentiâ maritum: aliàs
 enim ordine consveto Vir ambit fœminam, quod hic
 facit fœmina seu marita, sed à sponſo animata. Præterea
 etiam adultera non solet recipi, sed è medio tolli; hic
 autem verâ pœnitentiâ amplectens Dominum Ecclesia,
 fœmina hæcenus averſa, recipitur. Neque verò insolens
 scripturæ est, Ecclesiam dicere fœminam, matrem, Spon-
 sam, sororem: imò comparat eam quandoque mulieri
 prægnanti, quia Christo spirituales gignit liberos: cum
 verò à sponſo suo recessit, *averſam* nuncupat & refracta-
 riam, ut h. l. *quousq; subduces te ô filia averſa.*

III. Nunc ad ipsum nos conferimus Haksanium,
 qui antequam *Tarnovii* rationes aggreditur, sequentia
 præfatur sententiam suam stabiliturus: *Notandum consta-
 re ex Matth. 11. & Hebr. 8. indubitato hic sermonem esse de Mes-
 ſia: nam Matth. 11. 18. stetus Rachelis sit mentio; Hebr. 8. v. 8.
 novum fœdus inculcatur, quod DEUS nobiscum sit initurus: quan-
 quam argumento ex N. T. petito parum contra Judeos quis obti-
 nere possit; Christiani tamen se ipsos eodem non parum confirmare
 possunt. Sed resp. (1.) Nos utique non negare, sermonem hic
 esse*

esse de Christo, adeoq; frustra hæc contra B. moneri Tarnovium, cum ille ipse non tantum optimè sciens hoc concefferit, sed etiam loca isthæc præsertim ad Hebr. 8. pro sua sententia allegaverit; ita enim in Exerc. suis Bibl. p. 319. scribit: *Perpende etiam hic allegationem & applicationem hujus capituli ab Apostolo factam.* Ebr. 8. &c. & p. 324. citat ejusdem capituli v. 1. 2. 5. 6. 12. p. 335. hæc addit: *Epistola certe ad Hebraeos quando c. 8. hæc ex Propbeta de novo fœdere explicat, Christum esse incarnatum præsupponit, non ejus conceptionem hic esse diserte promissam dicit.* (2.) Consequentiam esse nullam, ubicunq; indubitato sermo est de Messia, ibi agitur de ejus conceptione ex Maria Virgine: id quod multis V. T. locis ostendi posset, si res non adeo aperta esset, ut inanis labor foret, eam prolatis exemplis operosius ostendere conari.

IV. His antejactis rationes Tarnovii aggreditur & ad I. à voce נקבר quam Luther. reddidit das Weib/ desumtam, in qua tantum gloriari Tarnovium dicit, ut ab omni illud exceptione immune existimet, ita Respondet (1.) *Nulla est consequentia: hæc vox sumitur de sexu E. non de individuo, cum opponat non opponenda sed subordinata: hæc enim non sunt opposita, cum possint cadere in idem subjectum.* Sed Regerimus (a) falsum esse, quod Tarnovius in argumento à voce נקבר desumpto tantum gloriatur, id quod legenti subsequenter verba, quæ ipse §. 9. explicationi hujus vocis subjicit, patefceret. Ita verò ait: *Interim semper meminerit lector, non me argumentari hic ex una voce tantum & propterea à vulgatam sententiam relinquere, sed ex omnibus & singulis, inprimis verò ex cohærentia textus.* Si ergò Tarnovius non ex una voce tantum argumentatur (quod notari bene volumus) sed ex omnibus & singulis, inprimis verò cohærentia textus, quomodo in argumento ab hac una voce desumpto tantum potest gloriari, ut ab omni illud immuni existimet exceptione? Cæterum (b) hoc vult

A 3

Tar-

31
32
37
26
28
27
40
4
4

Tarnovius, vocem נקבה quæ descendit à R. נקב perforavit, sua vi ac simpliciter & quidem in subjecto propositionis, ut h. l. non notare individuum, non ætatem, non statum aut conditionem, sed sexum & omne quod mari in eadem specie ut principium generationis alterum, in quo gignitur aliquid, opponitur: quomodo ei in scriptura innumeris ferè in locis ex adverso respondet נקבה mas, qui gignit in alio, adeoq; ex hac voce nihil quicquam veterum illam sententiam de Maria concipiente Christum probari, sed potius reprobari posse existimat, quia Maria θεοτόκος non sit totus sexus fœmineus &c. uti ipse mentem suam explicat §. 4. & 72. (c) Non lego Tarnovium ita vudè argumentari, prout argumentum CL. Haksplan. proponit: *quæ vox sumitur de sexu, illa non de individuo; sed ita potius argumentari velle videtur, ut singula ipsius verba conferenti patebit: Quæ vox sumitur de toto sexu, illa non est sumenda de uno & certo individuo nisi per accidens, quando sc. unum saltem individuum totum representat sexum.* Id quod ex ipsius Haksplanii confessione pervium est, Part. I. Not. p. 50. quam infra vide citatam Num. VII. ab init. Vel ita: *quæ vox generalis est & vi sua sexum notat, illa vi sua & simpliciter non notat individuum, præsertim in subjecto propositionis.* Atq; נקבה est talis, E. Hinc etiam textum Græcè ita exponit: τὸ θῆλυ περιάζει, μνηστεύσθαι, καὶ ἐναγκαλίσσεται τὸν ἄνδρα, & Germanicè: *Das Weibliche Geschlecht wird sich umbethun nach einem Mann.* Ubi tamen non excludit individua.

V. Deinde contra Tarnovii rationem primam hæc addit: *En simile exemplum: Esaiæ 7. liquet sermonem esse de Maria, ubi in textu legitur vox נקבה, quæ ut sexum notat fœmineum, statum & conditionem virginitatis, sic simul individuum, Mariam puta, ubi non sequitur: נקבה apud Esaiam significat statum, E. non individuum.* Sed regerimus, (1.) Argumentum non ferit Tarnovium: quia, ceu jam est dictum,

dictum. n
num vel
ter. (2) E
quæ aliis
tur ad
emphat
ut quidem
euli singul
rec statum
de concep
non pote
vox gener
concupi
ad hunc
Præteriti
et presè
pience ex
item.
VL Po
Infantia
f. Hbr.
& de ppoli
civitas. E
mijum a
dividuum
ficare sex
notare, a
non simpl
נב, ubi
avore par
nes enim
ha voces
quæ ad di
tiam an

20
dictum, non ita nudè argumentatur; addendum esset
unum vel certum individuum, & quidem vi sua & formaliter.
(2.) Exemplum est dissimile: illa enim vox מלע
quæ aliàs generalis est & statum notat, satis ibi restringitur
ad certum individuum per ה demonstrativum seu
emphaticum, siquidem non simpliciter legitur מלע,
ut quidem Haksp. illam citavit, sed מלעה. (3.) Mira-
culi singularitas ejusmodi vocem requirebat, quæ nota-
ret statum & conditionem virginitatis: qualis hęc (posito
de conceptione Christi loqui textum) dari necessitas
non potest, ut scil. singulariter requireretur ejusmodi
vox generalis sexum, notans muliebrem, quia Viri non
conciunt aut pariunt. Cæterum ipse etiam Tarnovius
ad hunc locum Esaia de מלע respondet §. 6. ubi per
Præteritionem subjungit, quod dictum illud Esa. 7. sit
expressè citatum in N. T. deque Maria Christum conci-
piente explicatum ap. Matth. 1. 13. hoc verò Jeremiæ non
item.

VI. Porro dat instantias, easque his proponit verbis:
Instantia dari potest ex Lev. 3. v. 1. & 6. Opponuntur aliàs inter
se Hebr. זכר & נקבה nec de homine tantum dicuntur, verum
& de quolibet animato, in quo sexus est differentia, etiam de
victimis. Hinc dicto loco Levit. dicitur offerre זכר או נקבה
masculum aut foeminam, ubi certè sexus non potest offerri sed in-
dividuum requiritur. Observa igitur aliud esse formaliter signi-
ficare sexum, aliud concretè denotare, seu: aliud voces sonare vel
notare, aliud connotare. נקבה connotat quidem sexum sed
non simpliciter notat. Sic Levit. 12. 2. fertur lex de ea quæ peperit
זכר, ubi sane non sexum peperit sed individuum & v. 5. dicitur de
uxore pariente נקבה, ubi individuum parere dicitur: actio-
nes enim & passiones sunt suppositorum. Resp. (1.) quod duæ
hæ voces Hebraicæ opponantur inter se, uti ap. Græcos
ἀρσεν καὶ θήλυ, nec de homine tantum, verum de quolibet
etiam animali, in quo sexus est, differentia dicantur.
optimè

optimè etiam non monente CL. Hakspanio novit Tarnovius, idemqve monet ipse §.5. (2.) Quod distinctionem Hakspanii attinet, scilicet *aliud esse formaliter significare sexum, aliud concretè denotare &c.* rectè illa quidem se habet, sed non rectè applicari abs illo videtur, cum dicit: **נקבר** concretè quidem connotare sexum, at verò non simpliciter notare vel (ut distinctionem ejus plene applicemus & exprimamus) non formaliter significare sexum, sed potius formaliter significare & notare individuum, concretè autem connotare sexum. Nos potius applicationem invertimus & **נקבר** formaliter ac vi sua notare sexum dicimus, radicaliter verò connotare individua (quia sexus seorsim non existit sed in individuis radicatur) imo aliquando etiam individuum tempore & contextu id exigente, ita tamen ut respectus ad sexum habeatur; non verò simpliciter vi sua & formaliter notare. Neque multis hic contra Hakspanium opus est argumentis. Certe Hakspanius secum ipso saltem commissus propriis contradictionibus commentationem hanc suam ita alibi destruit, ut refutatione operosa haut egeat. Perpendantur quæ habet part. 1. Notarum suarum p. 202. ad locum Gen. 17. 14. *masculus cum non circumcidetur*, ubi in fine contra Gerh. Joh. Vossium (qui quod locus hic de adultis, qui circumcisionem negligunt, vel ejus à parentibus neglectum approbant, sit intelligendus, inde constare asserit, quod in fonte sit vox זכר, quæ virum vel marem notet) ita infert: *Longè diversissima sunt, locum aliquem intelligi de adultis, & hoc ipsum constare è voce זכר. Utinam verò reflexisset oculos ad Levit. 12. 2. 7. ubi de זכר ילדו s. pariente masculum agitur. Hinc namq; facile ipsi constare potuisset, id verbi sexum, non atatem significare, OMNIA QVE SEXUS ILLIUS INDIVIDUA, in quæ sola actiones atqve passiones cadunt, quarum in scripturis sit mentio. Id quod huic opposita vox נקבר evincit, non SEXUM seorsim licet FORMALITER, sed in individuo denotans,*

quod

20

quod creatio foemina probat, contra quam non nemo locum Jeremi.
31. 22. explicans eandem interpretatur. Haftenus ille. Ex his
verbis duo annotamus contra ipsum Haksp. pro Tarno-
vio (a) expresse fatetur נקברו significare SEXUM FORMA-
LITER sed in individuo. Atq; ita nostram distinctionis ab
ipso data applicationem, sententiaq; ejus à nobis paulò
ante factam inversionē ipse hic confirmat. Diximus enim
קברה vi sua & formaliter significare sexum, sed radicaliter
eò notare individua. Contrà Haksp. ad locum Jer. 31. dixit:
*Aliud esse formaliter significare sexum, aliud concretè denotare, seu:
aliud voces sonare vel notare, aliud connotare: נקברה connotat qui-
dem sexum sed non simpliciter notat. Notanter autem diximus,
radicaliter connotare individua non individuum, uti Hak-
spanius ad locum nostrum Jer. 31. Nam sexus non in uno
individuo, nisi quando sola Eva totum representabat
sexum foemineum in specie humana, uti Adam virilem
(de quo paulò post) sed in individuis radicatur. Et in hoc
etiam contentem habemus Hakspanium. Nam (b) ver-
bis jam citatis disertè asserit, זכר significare SEXUM omnia-
que sexus illius individua. Eadem verò est ratio & נקברו
huic voci זכר plurimis in locis ex adverso respondentis.
Et certè si Hakspanio de זכר aliquid probare licet ex
נקברו (dicit enim l. c. id quod huic opposita vox נקברו evin-
cit, quod scil. זכר significet sexum omniaque sexus illius
individua) cur non etiam nobis de נקברו ex זכר? Ita
ergò meritò inferimus: Si נקברו (uti זכר) formaliter
significat sexum omniaque sexus illius individua, tum
Maria mater Christi non indigitatur per נקברו; nam
illa sola non est omne sexus muliebris individuum. Sed
verum est prius, secundum Haksp. E. & posterius. Illud
verò est, quod vult Tarnovius & ferè totidem verbis asse-
rit §. 5. Atque ita proprio jugulamur Hakspanium gladio.
(3.) Neque tamen hæc sufficiebant, sed pluribus ipsum
nostram ornare, suamque destruere contradictionibus*

B

causam

causam oportebat. Ita ergo parte 1. Notarum p. 425. ad locum Levit. 12. 5. *Et si foemina peperit, commentatur: Supra p. 50. ad Gen. 1. 27. monuimus, זכר significare sexum, non excluso tamen individuo. Displicet hoc Tarnovio, qui locum Jerem. 31. 22. intelligit de solo sexu, non vero de Maria. Contra quem praesens locus observandus, ubi נקבר non denotat sexum, sed individuum cum sexu: ita ut ipse Tarnovius nullum hic videat effugium. Et paulo post: Non igitur absurdum significare aliquid sexum connotare autem individuum. Ita ille. Ex his iterum notamus (1) Cl. Haksspanium nostram confirmare sententiam, quod נקבר significet sexum, (scil. vi sua & formaliter) connotet autem individuum (sc. radicaliter, quamvis non unum & certum nisi per accidens.) Cæterum (2.) quomodo displiceat Tarnovio, quod pag. 50. Haksspanius dicit, זכר vel נקבר significare sexum non excluso tamen individuo, utique non apparet; quia nunquam illud, quod quidem sciam, in Exercitatione super h. l. Jer. 31. negavit. Afferit quidem, hanc vocem vi sua non individuum sed sexum significare; falsum vero de solo illum intelligere hanc sexum exclusis individuis. Et certè si verba sua relegisset Haksspanius, quæ parte 1. p. 50. habet, quæq; h. l. citat, non dixisset, Tarnovium intelligere hunc locum de solo sexu exclusis individuis. Ita enim ibidem inter alia (quæ infra citabimus Num. VII.) loquitur: *Notandum hoc contra Tarnovium, qui verba Jerem. 31. 22. negat de certo aliquo individuo intelligi posse, cum נקבר, quod ibidem habetur, totum sexum significet.* Ergone idem est solus, quod p. 425. dicit, & totus sexus, quod p. 50. habet: Ergone solum hic intelligit sexum & individua excludit, qui totum sexum dicit certumque aliquod individuum negat? ita proh dolor affingere alios videmus aliis, quæ non dixerunt vel cogitarunt! Tandem (3.) quod attinet locum Lev. 12. 5. hic & illic allegatum, ad illum nunc ex ipso respondebimus Tarnovio, ut falsum quoque esse pateat, quod.*

quod Hakspl. l. c. p. 425. addit, *Tarnovium hic nullum videre effugium.* Dissimilitudo enim locorum (verba sunt Tarnovii) manifesta est: Ap. Jeremiam נקברו est subjectum propositionis, de quo dixi, quod נקברו in *subjecto propositionis simpliciter non notet individuum* §. 72. conf. sup. Num. III. in Levit. verò vox illa est determinatio prædicati; committitur ergo quædam ignoratio elenchi. Addimus ex supra dictis patere, quin ex ipsis etiam Haksplan. confessione probatum esse, verba נקברו radicaliter quidem connotare individua non autem formaliter vi sua significare, sed vi sua & formaliter notare sexum. Adeoque non amplius quæritur, annon נקברו connotet individua, imò per accidens aliquando individuum, si contextus id exigat; ita tamen ut respectus habeatur ad sexum: id quod num. seq. VII. pluribus afferetur; sed utrum נקברו *vi sua & formaliter significet* individuum, an verò sexum? prius falsum, posterius verum esse Hakspl. alibi confitetur. Cum ergo loca adducit Levit. in quibus voce ista connotantur individua, quæ vel ad זכר vel ad נקברו pertinent, vel etiam individuum hoc vel illud, quamvis non unum certum, ita ut respectus potissimum habeatur ad sexum, id quod ex oppositione זכר v. 2. apparet (in quo versu etiam de matre pariente, quæ ibi subjectum est propositionis, non adhibetur נקברו sed נשא: quia sexum singulari hic notari voce non erat opus, siquidem Viri non pariunt) tum contra nos non pugnat. (5.) Antequam hinc ad alia abeamus, notari adhuc volumus, quod scriptura N. T. hanc vocem æque ac זכר non nomine γυναικός & ἀνδρός efferat, sed per ἄρσεν καὶ θήλυ reddat, quæ vocabula ap. Græcos ad exprimendum præcipuè sexum adhibentur, e. g. quando Apostolus ad Gal. 3. 28. innuere vult, non haberi in Christo sexus respectum, ait: σὺν ἐνὶ ἄρσεν καὶ θήλυ, *Hic ist kein Mann noch Weib.* Hinc quod dicitur Gen. 1. 27: זכר ונקבה ברא אתם:

31
36
37
21
28
27
26
40
4
4



Masculum & feminam creavit illos, hoc redditur, Matth. 19. 4. & Marc. 10. 6. per ἀρσεν καὶ θήλυ. Cæterum de illo Geneseos loco, plura nobis jam differendi occasionem dabit Haksspanius.

VII. Tandem enim circa hanc primam vocem producit locum jam allegatum ex Gen. 1. 27. Verba ejus hæc sunt: Ita Gen. 1. 27. dicitur DEUS MASCULUM ET FÆMINAM CREASSE וַיִּבְרָא אֱלֹהִים אֱדָם וְאִשָּׁה, at creatio non est sexus absolute sumpti: creare enim est agere nec potest creari, nisi quod sit individuum. Quæ verba pluribus exponit alibi, scil. parte 1. Notarum suarum ad locum Gen. 1. 27. p. 50. Notandum hoc contra Tarnovium, qui in Exercit. verba Jerem. XXXI. 22. Fæmina circumdabit Virum, quæ à Doctoribus nostris communiter de Maria Virgine explicantur, negat de certo aliquo individuo intelligi posse, cum וַיִּבְרָא quod ibidem habeatur, totum sexum significet. Verum Tarnovius ex h. l. merito refutatur, ubi וַיִּבְרָא וְאִשָּׁה וְאֱדָם certum individuum denotant, quamvis alias sexum exprimere soleant. Resp. (1.) diximus num. præced. non amplius queri, annon וַיִּבְרָא radicaliter connotet individua, imò per accidens aliquando etiam individuum, contextu id exigente, ita tamen ut ad sexum habeatur respectus: sed utrum vi sua & formaliter significet individuum: id quod falsum supra fuit probatum. Locus verò quem producit ex Gen. 1. nihil probat aliud, quam voce וַיִּבְרָא (quæ vi sua sexum notat, vel uti loquitur Haksspanius l. c. quæ alias sexum exprimere solet & omnia illius individua & quidem formaliter, uti loquitur p. 202.) connotari aliquando individuum aliquod certum, materiâ. subjctâ necessario id exigente. Ergo non contra nos militat. (2.) Frustra Haksf. contra Tarnovium ex hoc Geneseos loco monet, creationem non esse sexus absolute sumpti, cum illud non neget: neque etiam Tarnovius (quod tamen Haksspanius præsupponere hic iterum videtur) וַיִּבְרָא absolute & seorsim exclusis individuis notare sexum asserit, uti ex supra dictis.

20

dictis constat, (3.) Notandum verò quod licet hoc Gene-
seos loco, exigente id materia subjecta certum aliquod
per hanc vocem notetur individuum, respectus tamen
ad sexum habeatur potissimum, uti ex appositione ע
זכר & allegatione loci ap. Matth. 19. 4. apparet, ubi per
שלו redditur. Hinc quando Gen. 2. 22. tanquam in propria
sede individui Evæ formatio describitur, non vox נקבה
sed ארץ adhibetur; sicut etiam in hoc ipso loco Gen.
1. 27. cum Moses individui primi hominis Adami creatio-
nem describit, non זכר, sed vocem אדם cum ה articu-
lari adhibet: Deinde verò indignaturus Moses nō creasse
Deum hominem in sexu saltem mascul. sed & foemino,
addit eodem versu: זכר ונקבה Masculum & Foeminam
creavit eos. (4.) Tempora sunt distingvenda, uti rectè
ipsum excipit Tarnovius contra hunc Geneleos locum §. 5.
nam sexus foemineus in specie humana tempore creatio-
nis in solo illo individuo, quod dicebatur Eva, reperie-
batur, illaque sola sexum foemineum in specie humana
tunc representabat, uti Adamus masculinum. Ergo tunc
temporis non poterat non voce illa simul unum & cer-
tum connotari individuum. Illud autem fit saltem per ac-
cidens; Inde vero non sequitur, vocem illam vi sua, for-
maliter & per se notare individuum unum & certum &
quidem tunc cum genus humanum maximè est multi-
plicatum. Regerit quidem Haksplanus ad hanc nostram
exceptionem: Quid hoc ad vocis significationem (quod scil.
Eva sola tunc representavit genus muliebre) Respondeo
verò Evam tunc cum creabatur, non representasse totum genus
muliebre: distingvendum namq. est inter representationem
naturalem & moralem: in naturalibus nemo representat alterum
nisi forte quoad externam faciem; in moralibus verò locum in-
venit ejusmodi representatio, sicuti pater ut caput, representat to-
tam familiam, &c. Eadem fere habet parte I. ad hunc lo-
cum Geneleos p. 50. Nec est ut excipiat, Adamum & Evam

B 3

totum

totam representasse speciem: nam quid hoc facit ad mutandam
 vocem significationem &c. ita ille. Sed Resp. Hakspanium
 verba Tarnovii non satis fideliter referre vel interpretari.
 Ita vero habent verba Tarnovii §. 5. Vox נקבר נאנבא
 de individuo (scil. uno & certo) usurpatur in Bibliis nisi tum
 quando Eva sexum femineum sola in specie humana representa-
 bat, ut Adam virilem; quod si oppones dicam: distingue tem-
 pora & concordabit scriptura. Contra Hakspanius negat,
 Evam tum cum creabatur representasse totum genus muliebre.
 Quorum verborum duplex potest esse sensus: 1. hic, E-
 vam cum crearetur totius sexus muliebris quoad omnia individua
 representasse creationem. 2. Ille: Evam tempore creationis so-
 lam in suo individuo sustinuisse sexus feminei in specie humana
 rationem, vel in ea sola radicum reperire tunc licuisse
 sexum femineum. Si Haksp. sensum intendit priorem
 (uti quidem intendere illum ex iis apparet verbis quæ
 p. 50. ad h. l. Gen. habet & paulò ante citavimus: *creari*,
 inquit, *plane est tale quid, quod ad speciem representandam
 spectat &c.*) injuriam Tarnovio facit, cui tale quid in
 mentem nunquam venit, adeoq; omnia illa quæ opero-
 sius affert, Tarnovium non feriunt. Si vero posteriorem
 quæ Tarnovii est, non video quodnam ipsi suppetat illum
 improbandi fundamentum. Unum tamen pro Tarno-
 vio contra Haksp. ex allegatis ipsis adhuc notamus ver-
 bis. Scilicet quod bis ait, *non facere ad mutandum vocum
 significationem*, quod Eva tempore creationis (uti excipit
 Tarnovius) sola repræsentavit sexum muliebrem, illud
 contra ipsum militat Hakspanium. Si enim (prout con-
 fessus ipse fuit p. 202. vox נקבר נאנבא formaliter significat sexum
 omniaq; sexus illius individua, tum propterea non est mu-
 tanda vocis significatio, quod ea per accidens, tum scil.
 quando sola Eva sexum repræsentabat femineum, con-
 notet unum certum individuum, & consequenter nil ob-
 stat nobis locus Geneseos.

IIX. Pro-

II X. Progredimur ad vocem II. תסובב, quæ est à
 Rad. סבב quæ notat circumvenire, circumdare, ambire,
 &c. Et nuspiam, dicente Tarnovio, usurpatur pro concipere vel
 gestare in utero. Ad hanc vero contra Tarn. ita commen-
 tatur Haksphanus: Tarnovij ratio talis est: nuspiam סבב signi-
 ficat concipere, gestare in utero. Resp. Neque id esse necessarium;
 sufficit, generalem quendam vocis dari conceptum, qui etiam con-
 ceptionem involvat, licet fiat sensu metaphorico. Quid? si hoc
 modo vellemus procedere, multa possemus negare, quæ sub una sal-
 tem acceptione occurrunt semel. Generalia pro re nata applicantur.
 Distingvere itaq; debuisset Auctor acceptionem ab applicatione &
 accommodatione. Sic accommodari potest סבב ut significet ute-
 rum circummeuntem foetum, sicut res rem circumdare solet. Ita
 Haksphanus. Sed Resp. (1.) Falsum est quod sufficiat, gene-
 ralem quendam vocis dari conceptum, qui hoc vel illud
 involvat. Si enim hoc modo procedere vellemus, nescio
 quam generales & longè petitos scripturis inferre posse-
 mus conceptus. Imo si propterea statim vocem סבב de
 conceptione interpretari vellemus, quod generalis de-
 tur vocis hujus conceptus, qui conceptionem sensu me-
 taphorico involvat, quid obstaret, quo minus etiam vo-
 cem סבב ad strangulationem accommodare, adeoq; hæc
 verba נקבה תסובב גבר ita interpretari possemus: *Femi-
 na suspendet vel strangulabit virum*: quia generalis datur
 vocis hujus conceptus, qui suspendium vel strangulatio-
 nem involvit: nam qui suspendit vel strangulat, etiam
 circumdat collum laqueo vel manu. Igitur non sufficit
 talem dari generalem vocis conceptum, qui hoc vel il-
 lud involvat; sed necesse est ut conceptus ille à contextu
 non sit alienus, nec longe petitus, neque scripturæ inu-
 sitatus. Quin maximè necessarium est, ut interpretatu-
 rus scripturæ locum vel vocem, sequatur analogiam
 scripturæ, & ex aliis ejusdem locis probare explicatio-
 nem, vel accommodationem vocis possit: alias enim
 qvi-

quolibet afferre quaslibet explicationes, pro lubituque interpretari scripturam posset. Jam autem סבב nulli in scripturis usurpatur pro *concupere*, quæ potius tum utitur verbis חורר, יחם, וררר &c. Contrà, quam nos ruemur, interpretatio usitatam vocis acceptionem vel si mavis accommodationem servat & præterquam quod contextui maximè respondet, neque longe petita est (nam circumdare virum est signum reversionis ad Virum certissimum quando foemina fuit desertrix) firmari etiam non omnino nullis potest scripturæ locis, ubi de amica quadam ex omni parte circumdatione & illam sequente amplexatione rei ambitæ & expetitæ occurrit. E.g. Ps. 7. 8. וְעָרַרְתָּ לְאִמּוֹת הַתּוֹבָבוֹת & cætus populorum circumdabit te (Deus) Lutherus sensum respiciens vertit: *Daß sich die Völcker wieder zu dir sammeln.* Conf. Psal. 26. v. 6. & Ps. 32. Hinc Beza h. l. rectè reddit: *Fœmina ambit Virum: quæ vox & sectari & prensare notat.* (2.) Non malè quidem distinguit Haksplanus inter *acceptionem & applicationem s. accommodationem* vocis; quod verò Tarnovio eandem imperet, quomodo jure fieri queat, e quidem haut video. Si quidem Tarnovius hæc minimè confundit, neque ipse, uti quidem Haksplanus refert, totidem verbis dicit: סבב *nuspiam significat concipere, gestare in utero; Sed ita §. 13. loquitur: Illud notari volo, quod hoc verbum nunquam, quod quidem sciam, in scriptura usurpetur pro concipere & gestare in utero. Non usurpatur inquit pro concipere. Neque verò idem omnino est: Non significat concipere, & non usurpatur pro concipere. Illud enim acceptionem, hoc verò accommodationem vel applicationem respicere videtur. Non ergo tantum acceptionem, vel hoc saltem negat Tarnovius, quod סבב significet conceptionem; ita enim negasset saltem aliquid, quod vel tyro negare potuisset; ecquis enim lingvæ hujus tyro nescit, סבב non significare concipere? verum hoc etiam negat, quod סבב usurpetur pro*

conci-

20

concipere, vel, ut Hakspanii utar verbis, quod applicetur s. accommodetur ad conceptionem. Si prius saltem negasset, forte acceptionem cum accommodatione confudisset: tum enim objici eidem potuisset, aliud est acceptio aliud accommodatio: licet non accipiatur pro conceptione tamen accommodatur ad illam. (4.) Concedimus equidem dari vocabula quæ sub una saltem acceptione occurrunt semel: concedimus etiam vocem aliquam, licet generalis sit & vi sua hoc vel illud non significet, vel pro hoc vel illo non accipiatur, applicari tamen vel accommodari ad hoc vel illud posse; sed tum demum, quando acceptio illa semel occurrens à contextu necessario requiritur, vel accommodatio illa scripturæ est usitata, nec longè petita, aut si longè sit petita & non usitata, ut saltem à contextu necessario exigatur, quæ quid hic non deprehenditur. Concedimus quoque כבס accommodari posse ut significet uterum circummeuntem foetum; sed à posse ad inesse N. V. C. nisi tum quando antecedd. & consequ. idem evincunt &c. Alias enim de suspendio quoque, uti jam dictum, explicari verba possent. Concludimus ergo non recedendum esse à consveta vocis significatione vel acceptione ad singularem, aut ab applicatione usitata & facili, ad accommodationem inusitatam & longè petitam, nisi contextus id necessario requirat, nec absurdum sequatur, dum usitata retinetur.

IX. Porro Hakspanius adit tertiam vocem גבר quæ virum notat robustum. Verba ejus hæc sunt: *Tertia Tarnovij ratio desumitur à voce גבר. Per banc, ait Tarnovius, non potest intelligi infans, cum descendat à גבר prevaluit: Hinc גבר viribus pollens, quod Viri proprium est: at hoc non poterit dicit de Christo infante in cunis posito. Addit Tarnovius: nusquam גבר usurpari de infante. Sed Resp. fallitur: Quod si enim inspexisset concordantias, offendisset forte locum Job. 3. 3. in quo dicitur: perent nox, in qua dictum est גבר הרר conceptus est*

C

est

20
est masculus, ubi de embryone in visceribus matris adhuc latente predicatur. גבר Conf. locum Gen. 4. 8. 1. ubi איש vocatur recens in lucem editus puerulus, licet alibi ea vox Virum robore pollentem designet, quem locum & ipse Tarnovius de Messia accipit. Quid si igitur Messias poterit appellari איש, quid ni & גבר. Objicit autem ulterius: at nusquam Messias in S. S. גבר vocatur. Resp. imo Esa. 9. 6. גבור vocatur. Quid ergo nomen גבר ei repugnabit? Deinde & שירר semel occurrit Gen. 49. 10. de Messia. Ergo quia alibi non legitur, ideo ei nec illic competet? Ita Haksspanius. Nos ad illa Resp. (1.) in genere repetendo verba Tarnovii supra §. 4. lit. a. adducta: Semper meminerit lector, non me argumentari hic ex una voce tantum &c. (2.) Ut ut non adeo pragnans hæc sit à גבר desumpta ratio; multum tamen, quod in Haksspanii responsione desideremus, reperimus: nam (a) mutilatè verba affert Tarnovii. Ita verò loquitur §. 16. Neg, hoc nomen גבר scriptura nascenti infanti vel puerulo tribuit, ut eum virum vel beroa appellet, sed vocat eum infantem puerum, בְּרֵאשִׁית, ראשית &c. Neg, enim eo momento Christus homo, cum ex Maria in lucem editus, virilem etatem ac robur habuit, sed postea quotidiè accrevit & validior factus est, Luc. 2. 12. 40. 51. Et seq. §. 17. prudenter addit: Interim absit ut ego negem, quod Christus ille puer non fuerit גבור אל Esa. 9. 5. aut גבר fortis ille gigas, de quo aliàs scriptura sapius; tantum hoc dico, scripturam cum agit de ejus nativitate ex Maria non vocare eum גבר &c. Ex his videt benevolus Lector, Haksspanium affingere Tarnovio hæc verba: גבר non potest dici de Christo infante in cunis posito. Aliud certè est: גבר non potest dici de Christo &c. & aliud: Scriptura hoc nomen Christo infanti non tribuit. Item affingere illa: Nusquam Messias in scriptura גבר vocatur. Imo vero Tarnovius §. 39. expressè dicit: Quæstio non est, an Christus aliquando dicatur גבר (id enim libenter largior) sed num iis in locis, quando de illo in utero concepto aut recens nato agitur, dicatur hoc nomine. Imò addi ibid. loca Psal. 45. 4. & Esa. 49. 24. ubi Messias vocatur גבר, verum non ut infans recens

retens natus, sed partim ut sponsus Ecclesie, partim ut
 Rex, suamque explicationem exinde confirmat, quod
 etiam h. l. ita accipiendum, ut significet Sponsum & Re-
 gem Ecclesie validum. Quemadmodum etiam Paulus 2.
 Cor. 11. 3. Christum Sponsum Ecclesie appellat Virum.
 Hinc §. 19. Tarnovius annectit rationem, cur h. l. non
 ponatur וְכֵן uti alias, sed וְכֵן quia sc. וְכֵן potest esse in-
 firmus, hic vero vel maxime requirebatur potens, qui
 afflictam suam liberaret conjugem, quemque ipsa eam
 ob causam maxime ambiret, quod sit וְכֵן Vir virtute præ-
 ditus & fortitudine instructus omnimoda. (b) Quod
 verò locum Job. 3. 3. attinet, ubi de embryone prædica-
 tur וְכֵן. Respondeo (1.) affingi Tarnovio, quod dixerit
 nuspiam וְכֵן de infante usurpari (2.) locus hic Tarno-
 vium non fugit, quippe quem §. 72. adduxit. (3.) Non au-
 tem sequitur: Si vox וְכֵן alicubi de embryone rectè acci-
 pitur, ergo etiam Jerem. 31. de Christo in Maria concepto
 bene potest & debet accipi. A posse enim ad esse N. V. C.
 quin disparitas locorum in aprico est. Ibi de concep-
 tione agi vocemque illam de embryone, qui futurus est וְכֵן,
 accipi clarissime textus arguit; hic verò non item. Et
 quid quæso clarius dici posset quam: *conceptus est וְכֵן*:
 Quis verò hanc propositionem audiens: *Vir circumdatur
 à muliere*, de conceptione masculi, nisi contextus evin-
 ceret, intelligeret? (c) Quod attinet verba Evæ
 וְכֵן אִישׁ אֶרְוֹתַי, de illis quidem dubium nobis
 eum Tarnovio nullum est, quin ita sint reddenda: *Pos-
 sedi Virum Dominum*; cæterum quam inde Hakspar. necit
 consequentiam videtur debilis: Scilicet, si Messias pote-
 rit appellari אִישׁ ergo & וְכֵן: non enim omnis אִישׁ s.
 Vir statim est וְכֵן Vir validus, robustus: neque etiam ferit
 Tarnovium nostrum, quippe qui, ceu dictum, non ne-
 gat Messiam infantem dici posse וְכֵן. (d) Tandem cita-
 tione loci Esa. 9. 5. supersedere Haksparius potuisset,

C 2 quia

31
 36
 37
 21
 28
 40
 4
 4

quia ipse Tarnovius, uti ex præcedd. patet locum istum §. 17. allegavit. Neque etiam Tarnovius id, quod Haksf. allegato isto loco probare conatur, inficias ivit, sc. Messiam in scripturis vocari גבר; concedit illum esse גבר & dici etiam in scripturis גבר, sed non ut nascentem vel infantem &c. uti ex jam dictis satis constare & super arbitror.

X. Denique Haksf. propositis hismet exceptionibus suis, objicit voces ברא creavit & הושה novum atque ita concludit: *Tandem Tarnovius intelligit de Ecclesia N. T. quæ Christum ut Sponsum suum appetat. Verum multum abest, ut ob id novum esse dicas, nec ea propter requirebatur creatio: Nam in V. T. idem Christus erat. Rectè itaq; recentes interpp. colligunt, tale quid h. l. intelligi, quod sit novum nec vulgare. Ac veluti cum Esa. 7. dicitur: Virgo pariet, tale quid describitur, quod in toto terrarum orbe non evenerit: ita & præfenti loco insigne ejusmodi colligendum mysterium, quæ miraculosa Christi conceptione extitit. Ad hæc Resp. (1.) Verum quidem est quod Tarnovius h. l. contextu id exigente, intelligat de Ecclesia N. T. quæ Christum sponsum suum appetat scil. per veram pœnitentiam, conf. supr. §. 2. falsum tamen quod objicit, multum abesse, ut ob id novum esse dicas, nec propterea requiri creationem. Nam vocem ברא creavit, ut de illa primo differamus, scriptura non tantum de creatione ex nihilo, sed sæpe etiam de rebus magnis viresque humanas excedentibus, quo pertinet meritò hominis conversio, adhibet. Hinc Psalm. 51. 12. dicitur לי ברא מבורר לב cor mundum crea in me Deus. Esa. 4. 5. מכוה הר ציון ברא & creabit Deus super omne habitaculum montis Zion. Esa. 41. 20. בראת קדוש ישראל & sanctus Israël creavit illud. Quomodo etiam vox αλιζειν adhibetur Eph. 2. 10. αὐτὸς γὰρ ἔσμεν πάλαι ἐν ἡμῖν ὡς ἐργαζομένους ἐν ἡμῖν ὡς ἐργαζομένους, ipsius facturæ sumus creati in Christo Jesu &c. Et sanè mirabili hîc opus:*

opus erat Dei gratia & creatione. Quamvis enim Deus per ministros suos Ecclesiam pœnitentiæ admonet, atque ut ad Sponsum suum, à quo per Diabolum erat abducta, redeat, autor sit fidelissimus; tamen quamdiu DEUS non creat cor novum, nemo convertitur. Hinc etiam DEUS Ecclesiæ, ex se ipsa reverti ad DEUM Sponsum suum non valenti, ex infinita sua misericordia rem novam creaturum, adeoq; effecturum promittit, ut fœmina circumdata virum & Ecclesia gratiâ DEI animata mox requisitura, & amplexatura sit verâ pœnitentiâ Sponsum suum Christum. Sed (2.) objicit Haksp. vocem *החדש* i. e. *novum*, dicitque multum abesse ut pœnitentiâ Ecclesiæ *novum* dicas; quin tale quid hic intelligendum arguit, quod novum est & non vulgare, adeoq; ita argumentari videtur: *Quod vulgare est & sæpius factum, illud non est novum, adeoq; b. l. non intelligendum.* Atqui Ecclesiam agere pœnitentiâ vel vera pœnitentiâ ambire & amplecti Christum est vulgare & sæpius factum: quia Ecclesia Judaica sæpius pœnitentiâ egit in V. T. promissumq; mundo Messiam, qui in V. T. idem erat, verâ pœnitentiâ amplexa fuit, E. hoc ipsum novum non est, adeoq; b. l. tale quid non intelligendum. Sed (1.) ipsius Hakspanii verbis, quæ pag. seq. 756. habet ad verba Jerem. 31. 31. Ecce dies veniunt dixit Dominus & feriam cum domo Israël & cum domo Jehuda *ברית חדשה* fœdus novum. Scitum est, ait, & pridem observatum *טו* innovare &c. Quæ si huc applicentur, proprio iterum jugulatur Hakspanius gladio. Sed audiamus applicantem & clarissimè hæc aliis respondentem ipsum Tarnovium §. 57. & 58. Respondeo, inquit, ad majorem negando connexionem, quia res antea facta diu potest nova ratione modi novi & secundum quid, quatenus illa non ita facta est, quemadmodum Judæi à DEO quidem fuerunt aversi & reversi, nunquam verò illustrius quam quando pleriq; omnes aversi, ita ut paucis-

31
36
37
26
28
40
4
4

*finis in Maria, Zacharia, Elisabetta, Josepho & aliis restarent
 pia reliquia, maximo numero in initio N. T. per predicationem
 Apostolorum convertebantur, cujus rei nullum simile extat in
 libro Judicum, aut aliis historiis sacris exemplum, & proinde
 merito res nova est dicenda.* (2.) Præterea novum est, Vi-
 rum ambiri à fœmina; siquidem Viri aliàs ordinariè &
 vulgo ambire fœminam, & reducere segregatam consue-
 verunt. Ambitur a. Vir à fœmina quando Ecclesia fœmina
 illa averfa ex pluribus congregata convertitur ad Chri-
 stum, conf. supr. §. 2. (3.) Tandem cor saxum convertere
 in carneum, mentem obscuratam illustrare lumine ver-
 bi, pravam corrigere voluntatem, quid aliud est quàm
 creare novum? Neque infreqvens scripturæ est reno-
 vationem & recreationem hominum in peccatis mor-
 tuorum dicere novum: hinc cor novum, homo novus
 &c. Denique (3.) quod attinet verba Haksanii ultima:
*Ac veluti cum Es. 7. dicitur: Virgo pariet &c. Resp. compa-
 rationem inter locum Esa. & Jer. esse lubricam & exem-
 plum dissimile, uti jam supra dictum: ingens quidem
 erat miraculum, inque toto terrarum orbe novum & in-
 auditum, Virginem parere, adeoq; maximè requirebatur
 vox עלמה, quæ notaret statum & conditionem Virgini-
 nitatis. Si vero hic locus de conceptione explicaretur,
 nihil novi diceretur, mulierem concipere & parere, ne-
 que opus fuisset voce quæ singulariter notaret sexum,
 qualis est נקבה: quis enim ignorat Viros non concipe-
 re nec parere? Si autem Viri conciperent & parerent
 ordinariè: Mulieres verò non conciperent parerentq;
 ordinariè, tum utique novum esset. Quod si verò Spiri-
 tus S. h. l. respexisset, ad conceptionem & nativitatem
 Christi è Virgine futuram, illudque tanquam novum &
 inauditum h. l. prædicere voluisset, non adhibuisset
 vocem נקבה, sexum notantem fœmineum, quippe quæ*

novi

20
novi nihil, ut dictum, importaret; sed aliâ usus fuisset,
quæ statum vel conditionem Virginitatis, indigaret,
uti ap. Esaiam vox עלמרו. Nos hic pedem figimus, cum
Jerem. ex hoc ipso cap. 31. v. 18. ingemiscentes,

השובנו ונשכרה כי אתה יהוה אלהינו:

T. ⊖. Δ.

COROLL.

I.

Falluntur, qui in verbis illis conditionalibus אשר
כר Mosen respexisse ad Mariam, taciteque
innuisse putant, fore aliquando, ut mulier non suscepto
semine masculum pariat ab hac lege excipienda. Adeo-
que versiones, quæ illud תוריע reddunt per: *Susceperit*
Semen vel *besamet wird* / ad formam fontis constare ne-
gamus.

II.

Corach, Dathan & Abiram descendisse vivos cum
familia sua in infernum frustra colligunt Pontif. ex
Num. 16. v. 33.

III.

Bileam, cujus mentio habetur Num. 22. fuit & verè
magus & vere Propheta.

IV.

Errant, qui ex Psal. 78. 49. quem vulg. reddit: *Immis-*
siones per malos Angelos, Luth. *Da er böse Engel sandte* / &c.
probare conantur, *Angelos malos* à Deo esse immisos ad
percutiendos Ægyptiorum primogenitos, de quibus
Exod. 12. v. 12. & 13.

V. Japheth

Japheth inter filios Noachi fuit natu maximus.
Hinc locum Gen. 10. 21. rectè vertit Luther. Sem aber
Japhets des grössern Bruder. Malè v. vulg. Sem frater
Japheti major.


Ad
Per-Eximium & Præstantiss.


DN. RESPONDENT.

SI tibi fors *mirum*, quod Sponsa Ecclesia CHRISTUM
Ambit, & ut fortem *concupit* illa VIRUM,
Quam magè erit *mirum*, quod Virgo Deipara summi
Circumdat NATUM, *concupit* atque parit.
Hæc MOLLERE piè tibi dum mysteria curæ
Gratia *circumdet* te precor alma DEI!


Enochus Svantenius, SS. Theol, D.
P.P. adD, Jac. Ecclesiastes.











19.

quia dictum est: Ad apprehendendum alas ter-
narij ex illa. Verum, Latinè detextis Rabbinot-
que judiciis variis missis, conferimus nos ad
tentias, quibus potius mens sana in corpore
s progressum ad

lembrum Tertium.

e Judæorum communiter hanc loquendi for-
litera vitâ intelligunt, quodd, quamvis pii in
ba patiantur, tamen in altera arctissima ne-
ulandi cum DEO, veluti ex præcedentibus
x R. Salomone, R. Levi, R. Kimchio, quam-

iat: Ita contra I. reperiuntur haud pauci ex
ribus, qui verba loci citati tantum de Con-
s vitæ periculis accipienda putant. Confer.
artin. Delrio, (b) quorum iste, fors, inquit, vi-
diuturnam, ut à DEO illigari Fasciculo Viven-
EO sedulo & diligenter curari, custodiri & con-
n (nam Anima hic vitam hanc presentem signi-
fidimat, sed ne quidem perturbet, ut indicat op-
n funda.

us, eandem planè sententiam fuisse D. Ioh.
precantis est, inquit, Sit Anima tua servata à
e. numero Viventium. Hoc est, Tua vita custo-
a inter vivos, vita autem adversariorum verti-
i DEI intereat, ut nesciant, quo se vertant. Sic
d) arbitratur: Commune tum fuisse, in populo
consuetudinem, hand dubie à Patribus acceptam,
colligere pios in fasciculum & fovere in gremio
homines solent, id quod sibi charum & antiquum
vare. Voluerunt autem S. Patres hac figurata
nioribus ac imperitioribus, pios cura esse DEO,
haberi pretio, & conservari ac protegi contra
li & Mundi.

m sensum facere videtur Sandius. (e) Fascicu-
ationem significat eorum maxime, qui eodem vita
C 2 insti

*h. l. ita comment. Deus te in periculis
in fasciculo involutum, inter eos, quos Deus
noscit. Ergo vita postea in potestatis
nisi deo permittente.*

I. Sentètia.
D. Frantzi⁹
a) De Inter
pret. Script
Sac. Orac.
69. p. 821.
& seqq.
b) Adagial.
V. T. Adag.
185. p. 197.
c) D. Ioh.
Bugenh.
Comment
in Sam.
Proph. Wit
tenb. 1524.
d) Hieron.
Weller.
Comment
in h. l.
e) Sanctius
in h. l.

